

1282, setembre, 3

L'abadessa Berenguera estableix a Ponç de Llagostera, de Breda, la borda de Beletes, situada a Arbúcies, per 20 sous d'entrada, i · l'eximeix d'esdevenir persona pròpia seva a causa de la pobresade la borda.

ASD núm. 257, perg. orig., 275 x 170 mm, carta partida.

Sit omnibus notum quod nos, Berengaria, Dei gratia abbatissa Sancti Danielis Gerunde, uisa et inspecta utilitate nostri monasterii, de consensu nostri conuentus per nos et omnes succedentes nostras, damus et stabilimus tibi Poncio de Locustaria, de Sancto Salvatore de Breda et tuis perpetuo illam nostram bordam de Beletes que est in parochia Sancti Cirici de Arbucii et nobis inuenitur propter deffectum heredum, cum domibus constructis et construendis, quintanis, ortis et laboracionibus suis panis et uini et arboribus generum diuersorum et intratibus, exitibus, possessionibus et tenedonibus suis cultis et heremis et adempriuiis, usibus et iuribus suis et omnibus suis pertinenciis et melioramentis et . augmentis factis et faciendis; sic dictam bordam tibi et tuis perpetuo damus et stabilimus, et inde te ponimus in presenti in corporalem possessionem cum hoc presenti instrumento ad omnes tuas et tuorum uoluntates perpetuo faciendas, saluo in omnibus iure monasterii nostri, cui inde donetis fideliter tu et tui tascham de expletis et pro toto censu annuatim duos solidos et medium barchinonenses de terno in festo Natalis Domini, et quia propter utilitatem dicte borde et propter sterilitatem honorum eius inde habere non possumus nec potuimus diu est personas, absoluimus te et tuos perpetuo et uobis remitimus penitus quod non teneamini inde facere personam uel personas nostras, nec possitis compelli ad faciendum inde personas nostras, set loco ipsarum personarum donetis nobis et nostris succedentibus semper et anuatim in dicto festo duos solidos et tres denarios dicte monete et quod semper teneatis ibi domos condirectas. Et propter hoc accipimus a te pro accapito ad comodum nostri monasterii uiginti solidos barchinonenses de temo. Et si quid amplius inde debemus habere, totum tibi remitimus gratis et mere liberalitatis titulo, renunciantes excepcioni non numerate dicte pecunie et doli et metus et accioni in factum et restitutioni in integrum et legi qua deceptis ultra dimidiam iusti predi subuenitur et omni alii iuri contra hoc uenienti. Promitentes tibi et tuis per nos et succedentes nostras predicta uobis semper in pace facere habere et tenere contra cunctos; et propter hoc et de euiccione et omni interesse obligamus tibi et tuis omnia bona nostri monasterii ubique. Et ego dictus Poncius de Locustaria, per me et meos firmans predicta, promito ac iuro per Deum et sancta .nu. Euangelia corporaliter tacta hec omnia predicta atendere et complere.

Actum est hoc .m. nonas septembris anno Domini .MCCLXXX. secundo.

Sig+num Berengarie, Dei gratia abbatisse predicte, sig+num Guilielme de Serriano, camerarie, sig+num Berengarie de Trilia, cabiscole, sig+num Fresche de Torrente, pietarie, sig+num Poncii predicti, qui hoc firmamus et laudamus. +Berengaria, Dei gratia Sancti Danielis abbatissa'. Testes sunt Petrus Artalli, clericus dicti loci et Petrus de Orreo, sellerius Gerunde.

Eg(s. man. )o Bisullunus Burgesii, tenens locum Raimundi de Toyano, publicus Gerunde notarii, hec scripsi et clausi.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 541-542